

miseratus Dux Romanus: immunitatem
 frustrà sibi destinatam in affines eius
 transtulit, sibi verò quod vnum supere-
 rat honorem tribuit sepulturæ. Quam
 quidem multo post tempore deiectam,
 & suis etiam ciuibus incognitam, M. T.
 Cicero inter densissimos vepres se repe-
 xisse, & ignorantibus indicasse comme-
 morat, vt in Tusculano suo scribens.
 Quantus homuncio, cuius semirutum
 bustum, sparsosque cineres, inuenisse
 gloriatur Romani princeps eloquij. For-
 rassè prolixius, quàm propositi necessitas
 exigebat, in illius memoriā dicta sint,
 cuius historiam nusquam deinceps in
 hoc opere occursum reor.

PYTHAGORAS.

IN Græciam transfretanti, primus Py-
 thagoras occurrit Philosophus, & phi-
 losophici nominis inuentor: Hic Sami
 Demarato Patre genitus locuplete ne-
 gotiatore, longè locupletior ipse nego-
 tiator mox futurus, deinde ab ætatis sua
 primordiis, sapientiæ pariter atque ho-
 nestatis arduum ac laboriosissimum,
 callem ingressus, natalis soli dereliquit
 angustias, toto orbe peregrinus, siqui-
 dem vt in historia Poëticis verbis utar:

Vir